

illarum Parochiarum habitantes non habuerunt a longissimo tempore citra, consuevitque cura animarum illarum per rectorem Ecclesie S. Benedicti intra dictum oppidum, in cuius Parochia habitaverunt exerceri, usquequo Ecclesia ipsa S. Benedicti in domum prefatam dudum Apostolica auctoritate extitit erecta, & eisdem fratribus pro eorum usu, & habitatione concessa, a quo tempore sic Prior dictae domus curam huiusmodi tam S. Benedicti, quam aliarum Ecclesiarum Parochialium de consensu tamen ordinarii loci exercuit, prout exercet de presenti. Cum autem sicut eadem petitio subungebat universitas locorum dicti oppidi, cupiat, quod curam hominum per Priorem dictae domus pro tempore existentem pro eorum majori commoditate, animarumque suarum salute, prout hactenus, exercetur, pro parte Marchionis, Prioris, & Fratrum praedictorum asserentium quod trium extra insimul (1) duodecimi (2), & altera intra (3) Ecclesiarum Parochialium intra duodecim florenos auri de Camera fructus, redditus, & proventus secundum communem aestimationem valorem annum non excedere, seque ad Beatae gloriosae Virginis Mariae specialem devotionis affectum gerere, nobis fuerit humiliter supplicatum, quod Ecclesia praedicta intra de cetero S. Mariae, & non S. Benedicti perpetuis futuris temporibus denominaretur, statuere, eisque fundandi unum altare, sive capellam unam in dicta Ecclesia intra sub invocatione ejusdem S. Benedicti licentiam concedere, ac tres Ecclesias praedictas extra cum omnibus juribus, & pertinentiis suis dictae Ecclesiae S. Benedicti intra suppressis in eis prius cura, & nomine beneficiorum perpetuo unire, annectere, & incorporare, atque in praemissis opportuna providere de benignitate Apostolica dignamur. Nos igitur qui de praemissis certam notitiam non habemus, ac veros, & ultimos ipsarum Ecclesiarum vacationis modos praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocato venerabili fratri nostro Episcopo Aquensi, & aliis, quorum interest de praemissis omnibus expositis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationes huiusmodi ita esse repereris, Ecclesiam praedictam intra non S. Benedicti, sed S. Mariae de Monte Carmelo de cetero nominari, & nuncupari eadem auctoritate statuas, & ordines, Marchioni, & Priori, & Fratribus unum altare sub invocatione S. Benedicti in dicta Ecclesia intra fundandi, & erigendi eadem auctoritate licentiam concedas, & nihilominus, si ordinationem, & concessionem ejusmodi per te vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur tres Ecclesias praedictas extra existentes cum juribus omnibus, & pertinentiis suis supradictis eidem Ecclesiae S. Benedicti intra quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, seu per liberas quorumvis resignationes de illis extra Romanam Curiam coram Notario publico, & testibus sponte factas ante constitutionem F. R. Joh. P. XXII. praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii Ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacent, & si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Late-

ranensis statuta Concilii ad sedem Apostolicam legitime devoluta, ipsaque Ecclesiae dispositioni Apostolica specialiter reservatae existant; & super eis inter aliquos lis, cujus statum praesentibus habere volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in eis alicui specialiter jus quaesitum, suppressis in eis prius, & extinctis cura, & nomine beneficiorum, auctoritate Apostolica perpetuo unias, annectes, & incorpores, bona, & cura animarum parochianorum eidem Ecclesiae intra applices; ita quod liceat Priori, & Conventui praefatarum trium ipsarum Ecclesiarum possessionem libere apprehendere, illarumque fructus, redditus, & proventus in suos, & dictae domus usum, & utilitatem convertere, & perpetuo retinere, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac domus, & ordinis praedictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis beneficiis, & Ecclesiis in illis partibus speciales, vel generales dictae sedis, vel legatorum ejus literae impetrarint, & si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliter quomodolibet sit processum, quas quidem literas, vel processus habitos per easdem, & inde secuta quaecumque ad tres Ecclesias uniendas huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quo ad assecutionem beneficiorum aliorum praedictarum generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorura existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorum totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, proviso quod tres Ecclesiae extra praedictas debitis praeterea non defraudentur obsequiis, sed earum congrue supportentur onera antedicta. Nos enim si unionem, annexionem, & incorporationem praedictarum fieri contingat moderno, & pro tempore existenti Priori dictae domus, ut curam animarum dictae Ecclesiae S. Mariae gerere, & exercere, & libere, & licite valeat auctoritate Apostolica tenore praesentium indulgemus, & insuper irritum decernimus, & inane, si secus super iis a quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarn. Domini MCCCCLXXIII. X. calendas julii Pontificatus nostri anno II.

De Collis

- (1) Scil. Ecclesia SS. Blasii, S. Mariae, & S. Agatae.
 (2) Florenos auri subintellige. (3) Id est S. Benedicti.

Alia ejusdem S. P. ad Episcopum Aquensem, ut colligat decimas pro expeditione contra Turcas ex toto Marchionatu.

MCCCCLXXV.

386

Sixtus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Aquensi in Marchionatu Montisferrati, & civitatibus, & dominio dilecti filii nobilis viri Gulielmi Marchionis Montisferrati nuntio, & com-